



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Quid Interest Inter Timorem seruillem, & timorem filialem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

QVID INTEREST INTER TIMOREM
seruilem, & timorem filialem?

RESPONDEO. Timor seruilis est pavor & sensus iræ Dei, sine fide, id est, sine fiducia misericordiæ accedente ad Deum, & sine consolatione, erigente corda in doloribus inferorum, vt pavor in Iude, Iuda & similibus, qui fit horribilis fremitus aduersus Deum, & contra Deum, de quo dicitur I. Iohannis 4. Perfecta dilectio foras eiecit timorem.

TIMOR filialis est pavor & sensus iræ Dei, sed cum fide, id est, cum fiducia misericordiæ, accedente ad Deum, qua liberantur corda ex doloribus, & clamant ad Deum, Abba pater, inter ipsos dolores, quos tamen vincit consolatio, sicut Dauid in excellentibus doloribus tamen erigitur, ut cum inquit Psalmi 41. Quem admodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, sic desiderat anima mea ad Deum meum. Item: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in eam, quoniam adhuc confitebor eum, Salutare, vultus mei, & Deus meus.

TALIS est sanctorum contritio in hac vita. Et huc pertinet dictum, Timor Domini initium sapientiæ. Alias descriptiones timoris seruilis & filialis volens omitto, quas otiosos disputatores fingunt: Timorem filialem esse, qui non timet penas. Sed sciamus, mixtos esse hos ingentes motus in sanctis, Timorem & sensum pænæ, & fidem accedentem ad Deum. Quia vult Deus sanctos aliquo modo intelligere iram aduersus peccata, vt Ieremiæ 31. dicitur: Postquam ostendiisti mihi, percussus femur meum, confusus sum & erubui, conuerte me & conuertar. Item Iesaiæ 28. Facit alienum opus, ut faciat proprium.

CONTRA:

In prima epistola Iohannis cap. 4. dicitur: Timor non est in dilectione, sed perfecta dilectio foras pellit timorem,

Ergo non est in sanctis timor.

RESPONDEO: Vltima interpretatio est dicti Iohannis: Timor non est in dilectione, scilicet, seruilis. Recte sic dicitur. Sed hæc non de otiosis speculationibus intelligantur, sed sciamus, Timorem seruilem nominari fugam & fremitum aduersus Deum, sine fide, vt fugam Cain, Saul, Iudas. Cain inquit: Maius est peccatum meum, quam ut remittatur. Hunc timorem inquit Iohannes eieci, scilicet, quia fide corda eriguntur, vt quanquam sunt in dolore, tamen eluctentur, & simul accedant ad Deum, sicut inquit Paulus: Gratia exuberat supra delictum. Et Psalmi 11. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remittis mihi impietatem peccati mei. ACCEDENTE autem fide, Timor fit filialis, & simul accenditur dilectio, quæ fides affert pacem, qua cor acquiescit in Deo; iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus erga Deum. Et deinde dicitur: